

Simon Toelmann Christoph Gelhorn von

Disputatio Iuridica Tertia Et Posterior. De Matrimonii Dissolutione, Sive De Divortiis, Et Redintegratione

Rostochi[i]: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730914194>

Druck Freier  Zugang



R. U. Jahr 1623.

Simon Toelmann Praes.

Christoph v. Selhorn Resp.



unvollst.

1811, 1812, 1813

Disputatio Juridica

TERTIA ET POSTERIOR.

DE

MATRIMONII

DISSOLUTIONE,

Ue auflösung

SIVE

DE DIVORTIIS,

Scheidungen

ET

REDINTEGRATIONE,

*Wiederherstellung
des Ehe*

Quam

Deo ter Opt. Max. feliciter annuente

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Clarissimi, Amplissimi & Consultissimi,

DN. SIMONIS TOELEMANNI

JURIS celeberrimi, & in incluta Rosarum Academia

Professoris dignissimi,

Publica disquisitioni subjicit

CHRISTOPHORUS a Belhorn

Eq: Siles,

Ad diem 29. Martij.

In Auditorio Magno.



ROSTOCHI

Excusa literis Joachimi Pedani, Acad. Typog.

ANNO M, DC. XXIII.

1623



1933. XIV 15



DE MATRIMONII DIS- SOLUTIONE, ET REDIN- TEGRATIONE.

THESIS I.

Manifestum est, & neminem la-
tet, plurimos Theologos celeberrimos, cumq;
ijsdem multos Politicos eximios, gravissimè sæpè
fuisse conquestos; quod de dissolutione Matri-
monij, quæ difficilis est, ex favore liberorum,
l. 8. pr. C. de Repud. nisi necessitas id requirat, *Gotbo.*
in not. ad d. l. 8. §. 1. in verb. necessitate, in primis propter Adulterium,
quod unicam causam Divortij, plurimi statuunt, *Clariss. Theob. D.*
Paulus. Tarnovius. de conjug. lib. 3. cap. 1. Valent. Forster. de succes. lib. 9.
s. 3. n. 31. & alij, tractare minimè esset necessum, si Magistratus Po-
liticus, suum, uti deberet, faceret officium, & tùm secundum LL:
divinas *Deut. 22. v. 22. Levit. 20. v. 10.* quàm humanas l. *quamvis 30. §. 1.*
C. ad l. lul. de adulte. Constit. Carolin. P. H. D. art. 120. delinquentibus de-
bitas infligeret pœnas.

2. Verùm, quoniam sæpissimè Magistratus, quo ad hanc cau-
sam, *Adulterij* scilicet, quod sædissima nequitia dicitur l. 20. C. ad L.
lul. de adulte. multasq; etiam in jure divino habet comminationes
Num 5. v. 27. & apud omnes gentes detestabile, graviq; pœna semper
affectum est *Gedd. ad §. 1. n. 8 l. 101. de V. S. & ad l. 42. n. 2, 6. de V. S.*
Tiraquel. in l. 13. connub. vel officij sui commissi immemores; vel ob
certas & evidentes rationes, circumstantialq; justas remittunt, vel,
ut alij, remittere coguntur, pœnas; intereà autem talia eveniunt cri-
mina, quæ ne contrahentes amplius cohabitent, nauseam pariunt,
sed exindè dissolutionem ex necessitate l. 8. §. 1. C. de repud. quam-

vis omnibus votis esset expetendum, ne inter nos audiretur, pe-
tant; non infrugiferum est visum, si de ipsâ pro ratione instituti, ali-
quid agamus, inq; veras Dissolutionis inquiramus causas.

3. Causæ autem, propter quas Matrimonia dissolvi debent, ne-
cessum est, ut sint justæ, pro ut ipse *Imperator in l. consensu 8. §. 1. C. de
repud.* ait, sicut sine justa causa dissolvi Matrimonia justo limite pro-
hibemus; ita adversa necessitate pressum, vel pressam, quamvis in-
fausto, attamen necessario auxilio cupimus liberari. Variæ tamen
reperiuntur Constitutiones & jura diversa.

4. Moyses in *Lege divina Deut. 24. v. 1.* ex quâcunq; levi causâ per-
mittebat dimittere uxorem, & libellum dare Repudij; quod tamen
hodiè correctum legimus. per Christum in Novo Testamento, uti
videre est apud *Matth. 5. v. 32. & 19. v. 9.*

5. Jus ff. etiam propter levissimam causam concedebat dare
Libellum Repudij *l. 2. ff. de divorz. §. 1.* in quo continebantur hæc
verba, *Res Tuas Tibi habeto. Conditione tuâ utere*: imò extra judicium, ad-
hibitis tantum septem testibus *l. nullum divorzium. 9. ff. eod. Schneid. de
divorz. n. 9.*

6. Jus C. certas enumerat causas in *d. l. consensus §. 2. C. de Repud.*
ob quas Repudium fieri potest, tam respectu mulieris, quàm Mariti. Re-
spectu mulieris, ut, si fuerit *Adulter*, si *veneficus*, *homicida*, vel *Majestatis reus*,
vel *falsi*, si *sepulchrorum violator*, *sacrilegus*, *latro*, vel *latronum receptor*,
vel *abigeus*, *plagiarius*, *scortator*, si ipsius vitæ *veneno*, aut *gladio*, aut *alio simili
modo insidiatus fueris*, vel *verberibus eam afficiat*. Respectu viri vice versâ,
pro ut in *d. l. 8. §. 3. C. d. tit. indicatur*.

7. Verùm, quia hæc causæ, non omnes, teste *Schneid. loc. cit. n. 10.*
videbantur sufficientes; *Ius Novell.* supervenit; quod reliquis defal-
catis, per paucas admittit, quæ enumerantur post *Novell; 22. c. 5. col-
lat. 4. in c. quia verò 8. Nov. 117. collat. 8.* ubi quoq; tam ratione Mariti,
quàm uxoris ordine recensentur. Ratione Mariti, si *crimen læsæ Majeste-
tis commiserit*, aut *reos Majestatis non induarit*. Si de *Adulterio* uxor potest
convinci. Si *vitæ viri mulier fuerit insidiata*, aut *insidiantibus consenserit*, &
de insidijs virum non fecerit certiore. Si *cum viris extraneis convivata fue-
rit*, aut *lavit*. Si *volente viro extra domum abnoctaverit*, nisi forsitan apud
Parentes. Si *spectaculis interfuerit prohibente viro*. Ratione mulieris, si *vir
crimen læsæ Majestatis commiserit*, si *vitæ mulieris*, uti & *castitati ejusdem in-
sidiatus*

fidiatus fuerit; si uxorem innocenter de Adulterio accusaveris, & non probaveris, siq; admonitus semel, & secundo à suspectis locis abstinere volueris; Aub. d. collat. 8. Novell 117. c. 9.

8. Deindè est jus Pontificium, quod teste *Schneid. n. 13.* in causis matrimonialibus, in nostris terris Imperij, & Ecclesiæ sequimur, quatenus non pugnat cum Novo Testamento; secundum quod, Pontificij causas Divortij numerant duodecim *Bellarmin. lib. 2. de matrim. sacram. c. 18. cit. Menz. pag. mihi 220.* secundum versiculos. *Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, Honestas. Si sis adfinis, si forte coire nequibus: Hæc socianda vetant connubia, facta retractant Hostiens. in sum. de matrim. n. 26. gl. in §. 1. vers. individuam l. de nupt.*

9. Nos verò hisce ita positis, generaliter dicimus, quod hodiè solvatur Matrimonium, ex communi DD. sententia, vel *Naturâ*, vel *Lege*: *tot. iiii. ff. de divor. & repud. Nov. 22. Naturâ, ut Morte; Lege, ut Divortio Iohan. Coppen observ. 42. n. 1.*

10. *Mors* est vel *Naturalis*, vel *Civilis*. *Naturali* Matrimonium solvitur, *l. 1. ff. de divor. Nov. 22. c. deinceps 20. Wesenb. in Parat. de divor. n. 1. l. si Maritus 14. §. sed si morte 3. ff. qui & à quib. manum: Petr. Nic. Mozz. de matrim. colum: 7. n. 4. Coppen obs. 42. n. 1. 1. Corinth. 7. v. 39. Sebastia. Medic: in lib. Mors omnia solvit.*

11. *Morte Civilis*, quando quis Civitatem & Libertatem, aut Civitatem tantum, amittit, matrimonium non dissolvitur *l. 1. C. de repud. l. res uxoris 24. C. de donat. int. vir. & uxor. l. sed si mors 13. §. 1. ff. eod. Nov. 22. c. 8. & 13. ubi Cujas. & Borch. in tract. degradib. Mozz. d. loc. n. 5.* Hinc concluditur rectissimè, si Maritus delictum commisisset, propter quod relegatus esset, quòd hanc ob causam Uxor ab eo separari non debeat, *Beuff. p. 2. de matr. q. 13. c. quod autem prius 8. & c. deportatio 13. Aub. de nupt: Schneid. de divor. n. 49. p. 58. Coppen observ. 44. n. 27. Hott. ad. l. 97. de R. I.*

12. Quanquam etiam olim jure veteri, matrimonium captivitate, si scilicet alteruter in hostium potestatem devenerit, solvebatur. *l. in eo jure 45. §. 6. ff. de rit. nupt. l. dirimitur. 1. ff. de divor. l. si ab hostib. 10. l. si quis sic 56. ff. sol. matr. l. in bello, 12. §. 4. ff. de capt. & postl. ei tamen, qui remansit secundis nuptijs, interdicitur, si constet captivum vivere Wesenb. de divor. n. 3.* quod si incertum sit, de jure Civili, exacto quinquennio facultas nubendi relictæ *l. uxores 6. ff.*

de divor. & repud. c. sed etiam 7. Auth. de nupt. Accedit quod Justinianus Auth. hodie C. de repud. & Pontifices certum nuncium mortis requirant c. in presentia 19. de sponsalib.

13. Idem in eo qui justam militiam securus est. Nam & is expectari debet, donec de morte ejus constet *d. Auth. Hodie Novel. 117. c. 11.* In ijs verò qui ob perpetratum homicidium, aut aliud crimen, metu poenae aufugerunt, illud sequi solent Magistratus, ut post quinquennium, aut etiam longius tempus, desertore citato, literis publicis ad templum affixis, vel in suggestu lectis, alteri conjugii novas nuptias permittant; de quo processu *vide consulat. Elect. Saxon. part. 1. lib. 2. q. 6. Beust. part. 1. q. 6. cum seqq. VVes. d. l. n. 3. Val. Guiliel. Forst. de nupt. & ult.*

14. Sic de jure Civili, Matrimonium etiam solvitur *servitute*, ut si quis ob ingratitudinem redigatur in servitutem *c. si verò decretum 9. in Auth. de nupt.* quod tamen hodiè etiam correctum. *Auth. de nupt. d. c. 8. quod autem prius.* Poena enim Conjugia distrahere non debet, ut ait *VVesemb. d. loc. n. 4.*

15. Et ita *primus modus*, quo solvitur Conjugium, *Secundus est Divortium*, ut dictum. De cujus *Etymologia* apud DD: non minima est Dissensio, existimante ita *Paulo 1^o Cto in l. inter divortium 19. ff. de V. S.* dictum ideò, quòd in diversas partes eant, qui discedunt; *Cajo in l. 2. ff. de divor.* à diversitate mentium dicitur; *Coppeni observ. 43. n. 3.* Alijs à divertendo, *Beust. de matr. c. 8;* quibusdam verò à divortio *Aquarum*, rerumq; similium; qua sententia *Cic. lib. 3. de orato:* & alibi ut in *Epist. ad Attic.* aquarum divortia nominat.

16. Hebraei, ut notant *Lexicographi*, penes quos vetustissima Divortium habet initia. ut *Deut. 24.* perspicitur, *Divortij* Nomen à verbo quod *scindere* sonat, deducunt. Libellumq; Abscissionis, notante ita *Calvin. in Lex. jurid.* dicunt (*Marcus Evangelista c. 10. Βιβλιον διασύνσεως, Matthaei verò Interpp. Διασύνσεσιν*, quod Abscissionale nuncupant) quod viri & uxoris nexum, conjugationemq; abscindat, ac dirimat. *Majorsag. lib. 2. Miscel. c. 15.*

17. Differunt autem *Divortium* & *Repadium* quod à pudore, *Auth. Falso* appellatum est, quod Nomen generale est, nec nuptiarum tantum Diremptionem, renuntiationemvè, sed & sponsaliorum significat *l. 2. ff. de divor.* Unde saepè etiam per *synecdochen* generis pro specie

specie Repudium generalius est, etiam apud Latinæ Linguæ Auto-
res, teste Brech. ad l. inter divortium 191. ff de F. S. quamplurimis in eam
rem citatis testimonijs Dominio. Cardin. Tusch. Tom. 2. pract. conclus. iur.
lit. d. Conclus. 548. num. 1. & seqq.

18. Propriè tamen Repudium ita not. Calvin. in Lex. est cum spon-
sus à sponsa dirimitur, Cypræ. de sponsal. c. 13. §. 1. n. 2. Divortium verò,
ubi vir & uxor matrimonio solvuntur Alb. Gentil. disp. de nupt. lib. 6.
c. 1. Repudium ergò cum sponsa committitur; Divortium verò in con-
jugibus duntaxat est, Beust. de matrim. c. 8. Cöppen observ. 43. n. 1.

19. Licet verò ex multis causis sponsalia solvi possint, tamen
hodiè inter nos Libello Repudij locus non est, quia ejus renuntia-
tionis, ut quæ pro alterius arbitrio, altero invito olim fiebat, ho-
diè usus nullus; sed iudex causa cognitâ pronunciat, & suâ senten-
tiâ dirimit sponsalia, uti loquitur Cypræ. c. 13. §. 10.

20. Est igitur Divortium Legitima separatio viri & uxoris, cum
causâ cognitione apud competentem iudicem, Schneid. de divort. n. 3.
Alij, uti Clariss. Theol. Farnov. in tract. de conjug. lib. 3. c. 1. Divortium de-
finiunt; quod sit separatio Mariti & Uxoris præcedente causâ cogni-
tione apud competentem iudicem facta, quâ præsentis Conjugij vin-
culum dirimitur, vide etiam Menz de conjug. pag. mibi 190.

21. Dicitur legitima separatio, quia debet fieri secundum LL. præ-
sertim divinas; propter dictum severissimum divinum, quos DEUS
conjunxit, homo ne separet, Matth. 19. v. 6. scilicet violentè, sine
lege ut cõmuniter explicant. Dd. absq; ratione & justis de causis,
alioquin injusti Repudij Actio est Novell. 117. c. 13. l. 38 ff solut. matr. l. 8. in
f. ff. de capt. Godof. in not. C. de repud. ad l. 8. §. 4. in verb. providentissime
legis pena. Non enim homo separat, quos pœna damnat, quos reatus
accusat, quos Maleficium coarctat, ut dicitur in c. quos DEUS 33. q. 2.
Neq; debet separatio fieri propriâ autoritate, sed coram iudice com-
petente, cum sufficiente causarum probatione c. seculares 1. & c. historia 33. q.
2. c. ex parte 9. de spons. Beust. c. 8. de matrim.

22. Fit autem Divortium vel Re, vel Nomine. Wesenb. in parat. de
divort. & repud. n. 11. Re, quando ex justis, & in jure determinatis cau-
sis matrimonia dissolvuntur. Nomine, quando fit separatio Thori &
menfæ sine spe alterius conjugij; ut, secundum illustrationem Wesenb.
d. loc. quando Canones ob hæreticos c. quanto 7. de divort. vel duntaxat
1A dul.

Adulterij causam *c. 5. d. lo.* permittunt Divortium; quia separationem Thori concedunt sine spe alterius conjugij, utriq; , ut idem loquitur, personæ fomitem peccati, & laqueum subijcientes. Quo tamen jure in his terris non utimur, quia non homo, sed DEUS per Magistratum, ob justas & legitimas causas, publico judicio conjugium separat *d. c. quos DEUS vid. Origen. in Matth. homil. 7. Ambros. 1. Cor. 7.* quos citat. *Vvesenb. d. lo. n. 11.*

23. Deinde fit Divortium, Aut voluntate mutuâ, aut Alterutrius. *Vves. d. loc. Mutuâ voluntate* & consensu apud veteres ex *Leg. 12 Tabul.* dissolvi poterat Conjugium *Cic. Philipp. 2. l. si constante 9. C. de repud.* quia secundum naturam putabant, ut quo quid colligatum esset, eodem modo solveretur *l. 59. de pact. l. nihil 36. de R. L.* Contrahitur autem Matrimonium consensu. E. contrario consensu rectè solvi posse, ratiocinabantur. *Vvesenb. de rit. nupt. n. 8 & de divor. n. 7.*

24. Verùm Justinianus hoc tantum ex causâ castitatis, ut loquitur *Vvesenb. d. loc. n. 9.* & amore cælibis vitæ concessit *c. quia verò ex consensu 10. Auth. ut lice. Matri. vel Avi. Auth. quod hodie C. de repud.* quod Canones indistinctè sustulerunt *c. fin. cum ibi not. de transact. & meritò quidem, ut maneret immota æterna illa Regula, quos DEUS conjunxit, homo ne separet c. quos DEUS 33. q. 2. Matth. 19. v. 6.*

25. Debet itaq; Divortium fieri alterutrius voluntate, non solo animi impetu, sed certa adhibita forma. scilicet ex Magistratus cognitione, ut loquitur *Vvesenb. d. lo.* & quidem ob certas causas *Panorm. in c. 1. de conjug lepros Didac. Covarr. in Epit. part. 1. cap. 4. Beust. de spons. c. 58.*

26. Cause possunt desumi, ut supra dixi, vel ex *Lege Mosaicâ, & jure Civili,* vel ex *Novo Testamento, & jure Pontificio.* Nos, omissis istis causis Divortij in *Lege Mosaicâ, & jure civili* expressis, dicemus de præcipuis tantùm, quæ in foro habent usum, & de quibus maximè hodiè inter DD. controvertitur; quæq; hodiè in nostris Ecclesiis observantur, & in *Novo Testamento, & Canonico jure* sunt expressæ.

27. *Primam Divortij Causam* nominant nonnulli Juri, *Insidias,* quando scilicet Alter Conjugum alteri machinatur mortem *Vvesen. de divor. n. 9. Hann. in Treut. disp. 6. vol. 2. de nupt. th. 8. fol. 680. Erasim. Sarcer. in lib. vom heiligen Ehestande part. 4. von der Ehescheidung fol. 216. §. de divor. prop. sevit. venesi. & insid.* Quo tamen casu fit tantùm Divor-

Divortium quoad Mensam, & Thorum, non verò ita, ut altero vi-
vente Pars una possit inire nuptias cum alia: *Schneid. de nupt. n. 19. sub.*
Rubr. de divor. Schurff consil. 42. cent. 1. Didac. Covarr. in Epitom. part. 2.
c. 7. §. 5. n. 1. Beust. de matrim. c. 9. Alberti, Gentil. lib. 6. de nupt. c. 5. fol.
491. & 492. Cöppen obs. 45. n. 1.

28. *Secundæ Causa* hinc fluens à dd. appellatur *Malitiosa Desertio*,
tàm uxoris, quàm Mariti, inter utrosq; enim eadem est ratio, igitur
idem statuendum jus *l. illud questum. 32. ff. ad l. Aquil. Erasm. Sacer. in*
tract vom Ehestand: part. 4. von Ehescheidung à pr. S. wens aber, cum
seqq. item vom heimlichen weglauffen, fol. 198. pag. 2. & 203. p. 1. adde S.
quid sit desertor, pag. 215, & 222.

29. *Absentia* verò seu *Desertio* Mariti, est multiplex *per. gl. in l. fin.*
in verb. appellare, ff. de restit. in integ. nobis verò hic est duplex: Una
Necessaria, seu probabilis; altera *Malitiosa: Salices, in l. 2. C. de sponsal. Copp.*
obs. 44. n. 1.

30. *Necessaria* vocatur ea, quæ ex justa, seu probabili oritur cau-
sa: *l. 1. ff. ex quibus caus. Major. l. absentia 140. & ibi DD. ff. de R. I. Malitiosa*
est, quando quis discedit à conjugē, & diutius abest, nulla honesta
causa coactus, sed vel levitate, vel injusta impatientia freni conju-
galis impulsus, vagatur. *Philip. in loc. de conjug. Beust. p. 2. q. 26.*

31. Et quoad desertionem simpliciter consideratam cum Ca-
nonistis pleriq;, Juri & Theologi conveniunt, *Beust. d. loc.*, quod su-
perstite Marito, Uxor, alteri non possit nubere, etiamsi longo tem-
pore abfuerit Maritus, nisi de morte Mariti fuerit certiorata *c. in*
præsencia 19. de sponsal. c. 2. de secund. nupt.

32. In dubio autem Maritus non præsumitur mortuus. licet di-
ligenti inquisitione habitâ, ignoretur ubi sit, secundum *Panormie. per*
text. in d. c. in præsencia. n. 4. Homo enim præsumitur vivere usq; ad
100. annos, *ut inter divinum 23. C. de S. S. Eccles. Schneid. de divorce. n. 41.*
quàm variè etiam Mors probetur *vid. latius Joseph. Mascard. conclus.*
1073. n. 1. & seqq. conclus. 1074. n. 1. & seqq. conclus. 1076. de probation. vol. 2.
Domin. Cardin. Tusch. concl. 400. n. 1. & seqq. tom. 5. pract. conclus. jur.
lit. m.

33. Sin verò constat de morte Mariti, licet alteri potest nubere,
d. c. in præsencia, & d. c. Dominus, non obstante *Auth. bodiè. C. de repud.*
ubi solennitas est expressa in hoc negotio, quàm diu debeat expe-

B

ctare

Etare uxor, quæ secundum Canonistas non est necessaria *Schneidw. d. loc. n. 44.*

34. Qui tamen, & Theologi, & JCTi, desertionem pro causâ verâ Divortij accipiunt, uti *Chytræ. in Deut. cap. 24. D. Simon. Paul. in Method. p. 3. pag. 399. Bez. de repud. & divort. pag. 115. Beust. de matrim. c. 26.* ij omnes de desertione Malitiosâ ex levitate, & impatientiâ freni conjugalis, Wann der Mann sein Weib vorfesslicher weise/ vnd ohne Ursachen sitzen leßt/ vud davon ziehet / hanc intelligunt; & in eo non Divortium faciendum, sed jam quodammodo factum, respiciunt, secundum *Clariss. D. Paul. Tarnov. in lib. de conjug. 3. pag. 805.* Accedit etiam, quod Malitiosæ Desertiones, rarò sint absq; Adulterio: *Coppen 1. obseru. 46. n. 21.*

35. *Tertiam Divortij causam* dici volunt DD. *Infidelitatem*, si alter ex conjugibus fuerit *infidelis*, & cum fidele habitare noluerit; quam desumunt ex textu juris divini: *ad Cor. 7.* ubi Apostolus; si quis uxorem habeat infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam, & sic contra de muliere; quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est Frater, vel soror ejusmodi, *Mozz. cit. loc. n. 33. Erasmi. Sarcer. fol. 257. pag. 2.*

36. De hac causâ quidam JCTi, uti *Beust. de matr. c. 37.* distinctè agunt, quod non per infidelem sit intelligendus, qui in aliquo fundamento Christianæ Religionis dissentiat, sed qui vel sit Ethnicus, Turca, Judæus, & horum similis, cum quo facit *Bez. de divort. pag. 146.*

37. Et hîc iterum tres cum *Beust. de matr. c. 37.* possunt considerari casus. Aut enim Christianus vult ex gente Judaicâ, vel Turcicâ ducere aliquam, & hoc illi permitti non debet, & si contra Magistratus inhibitionem, matrimonium esset initum, tunc talis contumax gravissimè per Magistratum puniri debet: *text. est expressus l. ne quis 6. C. de Judæ: l. 2. C. Theodof. de nupt. lib. 3. l. 5. C. Theod. ad l. lul. de adult.*

38. Aut utraq; persona adhæret Religioni Ethnicæ, alijq; hæresi, tunc si una Pars ad fidem Christianam converteretur, & altera Pars non vellet cohabitare, vel si cohabitare quidem vellet, interim tamen blasphemias evomeret, tunc fidele, ut CCæ volunt, conceditur

tur Divortium c. quanto 7. ext. de divort. vid. Didas. Covarr. in Epis. caus. matrim. p. 2. c. 6, 7. §. 4, 11.

39. Aut conjugati ambo Christianam profitentur doctrinam, tunc si vel Maritus, vel uxor à verâ Religione, ad Ethnicam, vel aliam Idolatriam deficeret, divortium, secundum Canones non permittitur: d. c. quanto Bez. autem de divort. & repud. pag. 113. cum quo consentire dicit Beust: Luther. in explic. c. 7. ad Cor. & Philipp. Melanch. tit. de conjug; rejicit hanc opinionem, & distinctè respondet quod si infidelis consentiat in conjugis officium, tunc firma manere sponsalia: si infidelis fidelem deserat, tunc penitus liberum esse fratrem, aut sororem: citante Beust. de matr. loc. cit.

40. Res itaq; est expedita, quod Fidelis cum infideli matrimonium contrahere nequeat, secundum l. 6. C. de iude. quæ desumpta est, ex l. 2. C. Theod. de nupt. lib. 7. l. quamvis 30. C. ad l. lul. de adult. Can. cave 28. q. 1. can. jus gentium; distinct: 1. can. quoniam dist. 32. Gen. 6. Exod. 34. Deut. 7. 1. Reg. 11. 2. Sam. 3. 2. ad Cor. 6. Gentil. lib. 2. de Nupt. c. 19. uti supra in priori disputatione declaratum.

41. Quod verò tale Matrimonium contractum facilè sit dissolvendum, adhuc dubium est inter DD. Alberic. Gentil. d. loc. c. 9. videtur eò inclinare, quod tale matrimonium, ne quidem contractum valeat, sed dirimi potius debeat; per text. Esdræ c. 9. & 10. Ubi tamen sententia contraria, & communior, & verior videtur: per text. in Epist. 1. ad Cor. 7. Forst. de nupt. c. 7.

42. Et probari potest hæc nostra assertio, exemplo Matris Timothei Græco, & Augustini Ethnico cohabitantis; quo pertinet l. 16. C. de episc. audi. neq; est in jure rarum, ut quæ ab initio contrahi prohibentur, contracta tamen non temerè rescindantur l. 1. §. 5. ff. quand. appell. sic l. 85. §. 1. ff. de R. l. l. patre furioso 8. ff. de his qui sunt su. vel alien. jur. Nauchbar. p. 2. q. 7. n. 6.

43. Quarta Divortij Causa à DD. nominatur Impotentia, Mozz. colum. 7. de matr. n. 44. Sarcer. fol. 258 pag. 2. cum seqq. quæ secundum Schneid. & Beust. ad. loc. vel ante matrimonium Uni partium accidit, vel consummato & constante Matrimonio subsequuta est. Coppen observ. 47. num. 1.

44. Si ante Matrimonium acciderit, tunc non rectè fieri posse Divortium, statuit Beust. de Matrim. c. 14. cum matrimonium ab initio

nullum fuerit, siquidem hæ personæ, finem Conjugij consequi non potuerunt; sed potius declarationem, ut alij sciant, illam societatem nullum unquam fuisse conjugium. *Menz. conjug. pag. 221. Schmid. de nups. n. 22.*

45. Sin verò constante, & consummato matrimonio, Impotentia acciderit, tunc propter impedimentum superveniens, Matrimonium nullo modo est dirimendum, *sex. est expressus in c. hi qui 32. q. 7. maximè si sine culpa, tale impedimentum, Uni conjugum evenisset Beuß. de matrim. q. 14.*

46. In dubio tamen, quando non constat, an Matrimonium præcesserit, vel subsecuta sit Impotentia, præsumitur, quod præcesserit, *argum. l. 3. C. de adul. actio. Hostiens. in summ. de frigid. §. quæ impotentia, in verb. accidentalis.*

47. Ut tamen Judex scire possit, qualis sit Impotentia, monet hic *Beuß. d. loc.* quod adhibere debeat Chirugos peritos, Medicosq; qui ipsi hinc de re faciant relationem. Quando itaq; judici liquidò constat de manifesta Impotentia, ante matrimonium, tunc potest facere separationem. Si non constet, judex partibus injungat, ut per triennium cohabitent, & Medicorum Chirurgorumq; ope utantur, *c. laudabilem §. de frigid. & males.*

48. Quando jam omnes conatus per Magistratum sunt adhibiti, & legitima curationis medicamenta usurpata, & tamen nulla extat spes curationis, tunc conceditur personæ, quæ vires Naturæ habet integras, & per triennium cohabitavit, maximè si subest periculum fornicationis, ut matrimonium contrahat cum alia, etiam vivente adhuc alterâ impotente parte: *d. c. 1. de frigid. Auth. sed hodie C. de repud.*

49. Hinc haud incommodè referri potest Quæstio, Num Leprosus, & morbus Gallicus sit Divortij causa? Quod ipsum negant plurimi dd. propter *c. 1. 2. & tot. tit. de conjug. leprosus. & ibid. Panor. Felin. & alij C. C. Thom. 4. sentent. distinct. 32. q. 1. art. 1. Alexand. l. si cum dorem 22. §. si Maritus 7. ff. solut. matrim. & expressè Navarr. c. 22. de sacram. matrim. Quod iidem & nostrates statuunt: Philipp. in exam. sub tit. de conjug. pag. 194. & 21. Bez. de divort. Beuß. de matrim. pag. 131. Forst. de success. lib. 9. in præfa. Wigand. de divort. ubi videri etiam potest Menz. de conjug. sub Rubr. de leprosus. pag. 107. & seqq. Sarcet. d. lo. fol. 265 §. von scheidung der Aufseßigen.*

Idem

50. Idem est dicendum de *Furore superveniente*, quia nec ille Matrimonium dissolvere debet, sive sit perpetuus, sive non; l. furor 8. ff. de spons. l. oratione 16. §. furor. 2. ff. de rit. nupt. d. l. si cum dote 22. ubi Alexand. n. 7. & 10. ff. solut. matrim. l. patre furioso 8. de hū qui su. vel alien. sunt jur. c. dilectus 24. de spons. c. hi qui; & c. neq; furioso 22. q. 7. Theod. Bez. in tract. de repud. & divort. fol. 102. 257. Beust. de matrim. c. 12. Iohann. Coppen num. 8. 9. 10. & 11. Sarcer. d. loc. fol. 264. §. von Scheidung der Unzämigkeit.

51. Quisam Divortij causam nonnulli DD. vocant *Intolerabilem*, seu nimiam Mariti sævitiam, in quâ opinione sunt Thoming. in Enchir. Theol. class. 4. c. 9. Hemming. de conjug. pag. 120. Hunn. ad c. 5. Matth. p. 2. pag. mibi 103 & seqq. Cannan. lib. 5. comment. c. 12. Heig. ad §. 1. Inst. de par. potest. Quam sententiam probat etiam Guilielm. Forster. part. 1. tract. sua. disp. 3. q. 12. per l. consensu 8. §. 2. C. de repud. Nov. 22. c. 15. §. 1. c. 8. qui fil. sint legit. c. 9. de testib. Matth. 5. & 19. Mozz. cita. loc. n. 34.

52. Negativam autem defendunt, Bez. in tract. de divort. pag. 91. Brentz. in libel. von Chesachen, p. 208. Alb. Gentil. lib. 6. de nupt. c. 20. Treutl. p. 2. d. sp. 6. thes. 8. Consult. Saxon. p. 1. lib. 2. q. 1. pag. mibi 13. qui moventur per locum Matth. 5. v. 32. & 19. v. 9.

53. In hac tamen controversiâ dirimendâ, Beust. & Schneid. qui sævitiam Intolerabilem vocant, distinctè respondent; scilicet, si ita fuerit comparata, ut propter eam uxor à Marito aufugere cogeretur, non teneretur redire, nisi Maritus præstet sufficientem, vel per pignora, vel per Fidejussores cautionem, de non sic crudeliter tractando, secundum c. ex transmissa 8. de restit. spoliat. Iohann. Coppen. obser. 45. n. 4. & 5.

54. Si verò tanta sit sævitia Mariti, ut mulieri trepidanti, sufficiens cautio præstari non possit, tunc non solum ei restitui non debet, sed potius ab isto separari; text. est expres. in c. literas 13. in f. d. c. ex transmissa & ibi Panorm. de restit. spol. Mozz. d. loc. n. 65. Ubi non tantum præteritæ, sed & futuræ sævitix Timor attendi debet, Beust. part. 2. de matrim. cum quo facit & Tarnov. in lib. de conjug. 3. pag. 774. qui separationem per Magistratum quoad mensam & Thorum, sive quoad cohabitationem, usq; dum pia reconciliatio fieri possit, approbat. Bidenbach. pag. 90.

55. *Sexta & Primaria Causa* propter quam Divortium fieri potest; quam

quam nonnulli etiam Theologi & Juri, uti *Tarnov. in lib. de conjug.* 3. c. 1. *Forst. de success. lib. 9. c. 3. n. 3.* totam & unicam existimant, est *Adulterium*; propter quod tam de divino, quam Canonico & Civili jure, Matrimonium dissolvitur *Matth. 5. & 19. c. pœcepit Dominus 32. q. 5. c. dixit Dominus 2. cum aliq. seqq. 32. q. 1. c. significasti 41. c. ex literis 5. ext. de divort. l. consensu 8. C. de Repud. Copp. obs. 43. n. 6.*

56. Et hoc crimen etiam apud veteres, & Ethnicos pœnas habuisse sat graves, testantur Historici. Apud Ægyptios enim Adulteros damno virilitatis mulctatos esse refert *Diodor. Sicul.* In Turciâ adhuc Eunuchis, quibus mulieres asservandæ committuntur, genitalis partes profus amputari, referunt illi, qui eam perlustrarunt. Et hi generali voce *cuirati, apocopi, Σάνηροι*, Eunuchi, & castrati dici possunt. Hebræi *cermh schofschu* appellant, hoc est, cui veretrum est abscissum, *Deut. 23. & foris*, quæ vox 2. *Reg. 8. & Genes. 37.* multisq; alijs in locis reperitur, *Cypræ. c. 9. §. 13. n. 3.*

57. Imò & propter hoc crimen, Divortia apud veteres ut plurimum facta esse constat. Sic *Lucillum, Clodiam*, quod impudica esset, repudiasset, & *Serviliam* *Catonis* uxorem duxisse, quam tamen, quia non minus impudica esset, licet aliquandiu propter reverentiam *Catonis* toleraverit, ad extremum repudiavit, refert *Plutarch. in Luca.* Ita *Pompejus* uxorem *Mutiam* repudiavit, quod per ejus absentiam Adulterium commisisset. Et *Catonis* *Filia Lucillo* nupta ob impudicitiam est rejecta; Uxor item *Catonis* *Minoris* *Attilia, Philippus Macedo*, ob stupri consuetudinem *Olympiam* repudiavit uxorem, *Iustinus P. Sempronius* uxori repudium misit, quod se incio ludum spectasset; *Valor, Maxim. lib. 3. Cypræ. de spons. c. 13. §. 7. n. 3.*

58. Dicitur autem Adulterium quasi ad alterius Thorum accessus, vel potius quasi Adalterium, quod ille ad Alteram (quæ non est sua uxor) vel hæc ab Alterum (non suum Maritum) se conferat: vel quod ex Adulterio conceptus, ab uno ad Alterius hereditatem nascatur: *Gad. ad pr. l. 101. de V. S. Calv. in Lexic. jurid. in verbo Adulterium. ubi Alciat. & Rebuff.*

59. Hinc Adulterium definitur, quod sit violatio alterius Thori *c. mæchaberis 32. q. 5. c. 1. Lex illa 36. q. 1.* seu quod sit alienæ Matris facta corruptio *l. fugitivus 225. de V. S. l. 6. §. 1. & l. 34. ff. ad l. lul. de adul. Marprecht. §. 4. n. 5. Bocet. class. 3. disp. 12. the. 1. VVesenb. in parat. ad l. lul. de Adul.*

de Adult. n. 4. Copp. lib. 2. observ. 125. D. Paul. Tarnov. Adulterium definit omnem commixtionem cum conjugatâ personâ, quæ fit extra legitimum Thorum, sive solutus cum maritalitâ, sive Maritus cum solutâ rem habeat, lib. 3. de conjug. c. 35. q. 3.

60. Unde propriè *Adulterium* dicitur commissum, quando conjugatus, cum aliâ conjugatâ, rem habuit, *Beust. de Matrim. c. 17. fol. 139.* quod Saxo vocat *Oberhurey* gl. *Landrecht lib. 2. art. 3. in vocab.* vñd die in *Oberhurey* begrieffen werden; *Coler. decis. 127. n. 4.* licet *Monner.* etiam tunc Adulterium verè dici ac esse putet, quando caelebs cum alterius conjugæ, & Maritus cum innuptâ rem habuit, pro ut ipse latè disputat in tract. suo *de matrim. c. 5.*

61. Quænam verò hodiè pæna Adulteris sit constitutâ, hic non disputamus, legatur inprimis hic jus divinum *c. Levit. 20. Deut. 22. Ezech. 18. Tarnov. de conjug. lib. 3. c. 15. Beust. de Matrim. c. 18.* qui expressè ponit, quod pæna Adulterij sit gladius, tam ex parte Mariti, quàm Conjugis, ut est decisio in *nov. constit. P. N. D. Carol. V. art. 120. & l. quamvis §. in fin. junct. ibi gloss. in verb. gladio, C. ad l. lul. de Adult. Alciar. in l. transigere 18. C. de transact. Coras. lib. 2. Miscell. jur. c. 1. n. 8. Heig. q. 29. n. 36. & seqq. part. 2. Dambud. in pract. crim. c. 89. n. 3. & seqq. licit olim in muliere erat secus Auth. sed hodiè C. ad l. lul. de adult.*

62. Hisce sex causis, DD. quidam alias addere volunt, scilicet qui matrimonia Metu contractu dissolvenda putant, quia Matrimonium per metum contractum, ipso jure fit nullum; secundum gl. in l. si mulier 21. §. si. metu. ff. quod met. caus. in verb. ullam, & notatur per *Abbat. in c. cum locum 14. & c. veniens 15. de sponsali l. 2. ff. de sponsal.*

63. Verùm limitatur hæc DD. conclusio, quod metus illatus debeat esse talis, qui potuit cadere in virum constantem, vel faminam constantem; *c. consultationi 28. in f. & d. c. veniens, extr. de spons.* inter vim enim & metum est differentia, ut dicitur in *c. de muliere 6. de spons. Mozz. cit. loc. solum. 7. n. 34.*

64. Nos verò existimamus cum *Beust.* qui latè illam materiam tractat de matrimonio *c. 44. in fin.* hanc materiam esse intricatam, ideoq; utilè in tanta perplexitate multorum casuum, qui hic incidere possunt, de quibus & Theologi & Juri multis agunt, autoritate Magistratus superioris constitutione aliquâ decidi.

65. Re-

65. Restat Error; quem nonnulli etiam propter principale Re-
quisitum contrahentium, *Consensum*, inter causas *Divortij* numerare
solent, qui solus nuptias facit *l. nuptias 30. ff. de R. l.* Errore enim in-
terveniente vitatur matrimonium; quoniam consecrare non viden-
tur, qui errant *l. nihil consensui 116. §. fin. de R. l. l. si per errorem 15. & ibi*
Jas. cum Alexand. de iurisd. omn. judic. l. 2. in pr. de judic. l. non idcirco 9. C.
de jur. & fact. ignor. l. sed hoc ita 20. de aq. plur. arrend. can. in quibus
22. q. 2.

66. Error autem ut antea dictum est, vel est *Substantialis*, qui ad
Substantiam Matrimonij pertinet, vel *Accidentalis*, sive, vel personæ,
vel conditionis, vel fortunæ, vel qualitatis, uti loquuntur *Först. de nupt.*
c. 8. de mater. nupt. fol. 113. Boust. de matrimon. c. 24. Menz. de conjug.
D. Paul Tarnov. c. 69. lib. 1. Cypræ. de sponsal. c. 13. §. 32. Coppen observ.
50. num. 4.

67. Error personæ nuptias, ceteris exclusis, contrahendas impe-
dit & retractat, contractasq; dirimit *c. un. 29 q. 1. Vvesenb. de rit. nupt.*
n. 8. Covarr. part. 2 c. 3. §. 7. Cypræ. de spons. c. 13. §. 32. & seqq. Gent. lib. 3.
c. 2. verum de Errore in primâ disputatione fufius.

68. Hinc fluit illa quæstio satis intricata, & nodosa. *An si quis com-*
pressam duxerit, postea, cognito errore, eam dimittere possit? Ubi Canonistæ
negativam defendunt, & dicunt *primò*: quod tale matrimonium
nullo modo sic dirimendum: per *c. un. 29. quæst. 1. in fin. & per Na-*
vell. 117.

69. Deindè rationem sumunt, à favore matrimonij, quod ritè
contractum, est res favorabilis *c. fin. de sentent. & re judic. c. mulier*
34. de jurejur. can. si quis accepit 33. q. 1. matrimonia verò facile turbari
non debent, *l. 1. §. fin. ff. de lib. exhib. quoniam est dura & acerba sepa-*
ratio l. 2. §. 1. ff. de instruct. & instrum. legas.

70. Tertiò. Nupriarum eadem debet esse causa & conditio,
quæ libertatis jurifjurandi, & aliarum spiritualium rerum, quæ semel
perfectæ valent, & rescindi nequeunt, *l. liberos 10 C. de liberal. caus. & c. e.*
C. si ad libere quis provoc. Ansb. sacramenta, C. si adversus venditionem. Vves.
in Parat. de rit. nupt. n. 8. in fin. quos enim DEUS conjunxit, homo ne
separet *Matth. 19. can. quos DEUS & can. an quod 33. q. 2.*

71. Quartò Argumentantur à Majori ad Minus, quia matrimo-
nium non dissolvitur, ob animi vitia, puta si conjunx infidelis sit;

l. per

l. pen. circa fin. C. de repud. c. 2. ext. de divort. imò Deo rem gratam & acceptam facit, qui è lupanari Meretricem extrahit, & in uxorem ducit, quod affirmant exemplo Salomonis, & Osee, de quibus in can. culpandus non est ult. 23. q. 1. & opus misericordiæ, inq; remissionem peccatorum: c. inter opera. 20. ext. de spons.

72. Tandem quintò non solùm ducere, sed & retinere potest, secundum jus Pontificium, præfloratam ab alio, quia Matrimonium omnia præcedentia vitia purgat & purificat: *c. super eos 5. de eo qui cogn. consangu. ux. suæ.* Quam sententiam referunt inter alios *Kling in tract. de caus. mari. in c. de errore qua l. Vvesenb. in Parat. de ris. nups. n. 18. Pet. Gregor. Tholos. lib. 9. syntagm. c. 2. n. 8. Bronch. cent. 2. Assers. 17.*

73. Alii, in contraria sunt sententia, qui statuunt, eo casu matrimonium, si *Ψευδογάγῃ* sit quæ ducitur, rescindi posse, inprimis si reconciliatio obtineri nequeat, uti eò videtur inclinare, *Alb. Gensil. lib. 6. de nups. c. 13. Schurff cent. 3. consil. 9. Bez. de divort. pag. 71. Melancht. de conjug. qui elegantem conscripsit Epistolam ad Dominum Iohan. Pseffinger. pastor. Eccles. Lips. Anno 30. quam totam habet Beust. de matrim. c. 34. & Menz. de conjug. sub tit. de condit. vit.*

74. Moventur verò inprimis, primò, quoniam dolosè agit mulier vitata, pro virgine se venditans; *l. i. de dol. mal.* cum tamen dolus nemini patrocinari debeat, quippe, quod per dolum malum, si legitimè probetur, bonæ fidei contractus ipso jure vitentur *l. & eleganter 7. in pr. de dol. mal. l. 5. C. de rescind. vendit.*

75. Secundò potissimùm moventur pleriq; Theologi, & Confessoriales *l. divina Deut. 22.* quæ jubet lapidibus obrui compressam, ab alio, quæ postea tanquam virgo nupsit alteri, si sit ejus nomine accusata, & vir petat divortium: *gl. in c. satis 14. in verb. lapidaretur 33. quest. 5.*

76. Præcipuè verò acriter defendit hanc opinionem *Nicol. Reufner. lib. 4. decis. 5.* ubi testatur, hanc in curiis, & judiciis Ecclesiasticis passim hodiè servari, adeò quidem, ut Divortium concedatur, non solùm quo ad mensam & Thorum, sed etiam innocenti parti, facultas ad secunda vota transeundi, concedatur. *Cypr. de spons. c. 13. §. 29. & seqq. Hug. Donell. lib. 13. comment. c. 10. & ibid. Hilling. lit. 4.*

C

77. Alij

77. Alij tamēn in hāc satis difficili quæstione, distinctē respondent, uti *Forst. de nupt. c. 8.* qui duobus casibus totam controversiam dirimit, quæ sententia & nobis maximē placet. Ut *primò* quando sponsa præflorata deprehenditur, antequam eam sponsus domum ducit, & sciens cum eā concumbit, quo casu matrimonium dirimendum esse, minimē concedit, secundum Regulam *l. quod quā 203. de R. l. c. damnnum 86. de R. l. in 6.* Quod enim semel placuit, amplius displicere non potest *c. quod semel 21. de R. l. in 6. ubi Per. Beckius;* quia serò mores mulieris is accusat, quos uxorem ducendo probavit: *l. 13. §. fin. ff. ad l. jul. de adult.*

78. *Secundò*, quando matrimonio per deductionem in templum & copulationem ibi consummato, tum demum reperitur de virginata; ubi iterum distingui potest, an Maritus id sciens nihilominus cum eā consuevit: an verò protinus cum experiretur, abstinit ab eā, vel non cohabitavit, sed periit, ut matrimonium solveretur, tunc si reconciliatio frustra tentaretur, posset Maritus per sententiam iudicis absolvi *Beust. de matrim. c. 34. in fin. vid. de hāc quæst. etiam Menz de conjug. p. mibi 85. & seqq.*

79. Quinam autem in divortijs observetur processus Instituti mei non est, pluribus de hāc re agere, legantur DD. inprimis *Beust. de matrim. c. 27. & seqq. Schneidw. de divort. num. 44. & alij plures.*

80. Quid sit Divortium, quomodo fiat, & ex quibus causis vidimus; sequitur de effectu, qui est, ut separentur ex iustis causis, & altera pars liberetur ab altera: *Beust. & Schneidw. lo. citat.* Undē non immeritò quæritur:

81. *An innocenti & relictae personæ debeat permitti nubere aliq?* Affirmativam defendit *Wesemb. d. lo. n. 9.* statuens, quod innocenti personæ, rectē novæ permittantur Nuptiæ. Cum enim Dissolutio quam autoritate divinā ex iustis causis Magistratus facit, vera esse debeat, nec innocenti personæ captiosa *l. 6. C. undē vi. l. Paulus §. ff. de prator. stipul.* meritò huic in tali casu, Nuptiæ secunda sunt permittenda, ita, ut damnata Adulterij uxore, Maritus statim, & damnato

damnato contra Marito, Uxor post annum luctus, liberam habeat ad secunda vota transeundi potestatem *l. consensu §. in verb. nubendi post annum, & l. 9. in verb. sed post annum C. de repud.*

82. Canonistæ tamen nunquam permittunt Innocenti parti cum alia contrahere, nisi constet de morte alterius, & moventur, tum textu juris civilis, *Auth. hodiè C. de repud.* ubi dicit text. Hodiè quantiscunq; annis Maritus in expeditione manserit, mulier abstinere debet, tum dicto *Pauli 1. ad Cor. 7.* qui, his qui matrimonio juncti sunt, præcipio non Ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, & si discesserit manere inuuptam, aut viro reconciliari, *Schneidw. de divor. n. 44.*

83. Hæc tamen rationes refutat egregiè satis *Bez. de divo. fol. mlii 178. cum seqq. Bucer. in enarrat. in Matth. c. 9. Brentz. in allegat. libell. q. 5. quibus adde Erasum. in annotat. in Epist. ad Corinib. 1. c. 7. & Beuff. de matrim. c. 24.*

84. Et ita contrariam opinionem, quam etiam *Wesemb. supra citat. lo.* defendit, sequuntur Consistoriales ferè omnes nostri, qui secundum jus commune pronunciant, quo licitum est viro innocenti, etiam vivente adhuc Adultera, Matrimonium contrahere cum altera, & ad secunda transire vota: *l. 8 C. de repud.* quemadmodum & mulieri, post annum potestas nubendi conceditur: *d. l. 3. §. fin. verò C. d. t. sub conditionibus, quas refert Auth. Consult. Saxonie. d. lib. 2. q. 4. Philip. in exam. in lo. de conjug. Bez. de divor. pag. 175. & seqq. Borch. in tract. de gradib. 128.*

85. Quia verò Matrimonia dissolvi debent per Magistratum, non infrugiferum hic esse judicamus quærere: *quænam iudex esse possit in causis matrimonialibus?* *Bellarmin. lib. 1. de sacram. matrim. c. 32. citant. Hunn. in Treuel. disp. 6. de nupt. th. 8. q. 68.* per distinctionem causarum matrimonialium respondet. Quædam sunt omninò spirituales, ut de partibus sacramenti, de benedictione sacerdotali: quædam sunt omninò Politicæ, ut de dotibus, successioneibus, hereditatibus & c. quædam partim Politicæ; partim spirituales; ut de gradibus cognationis, divortijs, & alijs ad ipsum contractum matrimonij pertinenti-

nentibus. Et has tertij generis causas cit. *Aut. d. lo. ad Politicum.* Magistratum pertinere posse, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum, statuit.

86. De prioribus duobus generibus dubium non est, ad quem pertineant. Primi enim generis ad solam Ecclesiam pertinent; secundi verò simpliciter ad Magistratum. Tertij generis cognitionem & dijudicationem *Dn. Chemnit.* ad Ecclesiam pertinere affirmat, ita tamen, ut Magistratum Politicum, maxime si sit Christianus, non excludat, ad cujus officium pertinet, ferre de ejusmodi casibus LL. uti notat egregie *Clariss. D. Tarnov. mod. cit. lo. c. 36. Menz. in trakt. de conjug. cit. de judic. caus. matrim. Hunn. vol. poster. disp. 7. tb. 7. q. 68.*

87. Et sic constat *judex* in causis matrimonialibus, ubi adhuc videndum, *An & Dispensatio, & Transactio, locum habeat in hoc Negotio?*

88. *Dispensatio* multis modis accipitur. Latinis nomen dispensare est distribuere & expendere, undè etiam servus dispensator dicitur, qui impendia domus curat, *l. 51. l. 24. de manu. testam. l. ult. §. si inter ff. de V. O. l. 10. de serv. corrup. Alciat. in l. urbana familia 106. n. 2. de V. 8. quâ voce utitur J. C. Paul. in l. dispensatori. §. & in l. dispensatorem 62. ff. de solutio. Hinc qui Principum pecunias curant, in constitutionibus appellantur Dispensatores, *l. i. C. si ad vers. fis. & C. Theodos. de his qui cum dispens. contrab. Calvin. in Lex. jurid. in verbo dispensator.**

89. Hic verò de communi loquendi formula *Dispensatio* nihil aliud est, quam *relaxatio juris*; *Menz. sub. rubr. de dispensat. mibi pag. 242.* de quâ dispensatione multis disputant Canonistæ in *c. literas 13. post gl. in verb. dispensare; & in verb. divina lege ext. de restit. spoliat. & in c. proposuit 4. in verb. supra jus, ext. de concess. prebend. c. gaudemus 8. & c. Deus fin. cum ibi not. de divorce. præsertim Dominic. Cardin. Tusch. præct. conclus. jur. tom. 2. lit. d. conclus. 458. cum 23. seqq. Felin. in c. quæ in Ecclesiarum numero 25. de constitut.*

90. Hisce disputationibus omiſſis, proponit *Beust. de matrim.* Regulam, quod *humana dispensationes contra jus divinum & mandatum Dei non valeant*, ut post alios tradit *Pet. Paul. Pariss. consil. 68. incip. dubium*

bium, n. 199. vol. 3. ita, ut nec Papa super eas dispensare possit. *Specul. in tit. de dispens. lib. 1. vers. nunc breviter dicendum n. 4.*

91. De jure tamen humano nonnunquam Dispensationem fieri posse singulari ex prudentia Magistratus, sive eorum, penes quos jus dispensandi est, communiter concedunt DD. ita tamen, ne *Dispensatio fiat dissipatio*. E. G. si duorum Fratrum filij vellent conjugari, & dispensationem peterent, posset Magistratus superior, exemplo Moysis & Josuæ *Num. ult. & Jos. 15. lud. 1.* dispensare. Sin verò quis Amitam suam, ut ducere possit, peteret, dispensatio hinc minimè locum habere possit. *Beust. de matrim. c. 56.*

92. Sequitur *Transactio*. Hæc à transigendo h. e. finem imponendo dicta est, habetq; duplicem significationem: interdum ea dicimus transacta, quæ nunquam fuere in controversia, habent tamen certum finem, uti loquitur *l. transacta 229. ff. de V. S.* interdum, *Transactio* deijs tantum intelligitur, quæ in controversia sunt, & à lite futurâ aut pendente ad certam compositionem reducunt, sic accipitur *tot. tit. ff. de transact. adde Connan. hæc latius explican-tem; lib. 5. comment. c. 6. n. 1. Calvin. in Lex. jurid. in verb. transactio.*

93. Est autem *Transactio* de re dubiâ, & lite ancipiti, nec dum ad finem ducta pactio: *l. 1. ff. de transact. l. 12. C. eod. l. 6. C. de solut. Holtom. ad. l. 2. C. eod. l. 1. §. ult. ff. ad SCem Tertullian.*

94. An verò in Matrimonijs habeat locum, controversatur? Pleriq; DD. in negativam descendunt sententiam ex *c. fin. ubi gl. & CCæ de transact. l. fin. ubi Bartol. & Legistæ. C. de transact. & est text. in § quia verò. Auth. ut frat. fil. collat 9. propterea quod in spirituatibus rebus, ut putatur Matrimonium, transactio non admittitur *c. de cetero 5. & c. 2. statumimus de transact.* quia consensus & promissio efficit verum matrimonium, illud per contrarium consensum transactione non potest tolli, ut multi concludunt DD. & post illos *Beust. de spons. c. 29.**

95. Si tamen casus accideret, ubi salva conscientia judicis & Partis, *Transactio* locum habere possit, quid tunc sit faciendum, relinquimus Practicis,


96. Vidimus sic Matrimonij *Dissolutionem*, restat, ut etiam videamus *Redintegrationem*, quia matrimonia redintegrari possunt etiam post divortia facta, teste *Beust. de matr. c. 53.*

97. Ponunt verò DD. *causas redintegrationis* vulgò tres. *Primam* dicunt fieri per mutuam reconciliationem *c. placuit 5. & c. uxor 32. quest. 7.*

98. *Secundam* nominant quando supervenit Adulterium ab eâ parte, quæ petijt Divortium: *c. ex literis 5. de divort. ubi Panorm. n. 6.*, inquit, esse casum singularem, quod Adulterium viri & uxoris compensatur, non solum ante sententiam Divortij latam, ita, quod si vir innocens, non contineat se, post separationem factam, propter Adulterium mulieri, debeat matrimonium redintegrari *Schneidw. de divort. n. 64.* quamvis nonnulli DD. fuerint in alia sententia, ut dicit *Panorm. in alleg. c. ex literis n. 1.*

99. *Tertiam* DD. vocant, si per errorem fuisset factum Divortium; nulla enim sententia in causis matrimonialibus ita transit in rem judicatam, quin compertâ veritate retractari possit, ut est notabilis *text. in c. lator 7. de sententia & re jud. Beust. de Matrimonio c. 38.*

100. Sic Ergò tandem interveniente *Reconciliatione* Matrimonium durat, & pœna Capitalis propter ejus honorem remittitur, sed Uxor intercedens pro Marito, una cum ipso discedere jubetur. *Borch. in tract. de grad. mibi pag. 129. Vvesenb. in Parat. ad l. lul. de adult. Forst. de nupt. c. ult. ne scilicet, secundum DD. ansa præbeatur latius peccandi, & violandi præcepta Dei, cui soli & Uni, sit Laus & Gloria sempiterna.*



Adje.

Adjectanea.

I.


An cum Sponsa alterius committatur Adulterium, non paucis disceptatur inter DD? Nos, quia sponsalia spes Matrimonij dicuntur *l. 6. ff. de spons. & consensus*, non concubitus Matrimonium facit; *l. 30. ff. de R. 7.* & proximè cingendus pro jam cincto reputatur: *text. in l. 43. ff. de milit. test. Bart. & Bald. ibid. Ang. in §. fuerat 7. de Action. n. 84:* existimamus, quod sic; per *l. 13. §. 3. ff. ad l. jul. de adult.* in quâ etiam opinione nobiscum sunt plurimi Theologi *Fel. Bidenb. de mat. c. 5. q. 3. & alij.*


II.

Nec minima lis est apud dd. an scilicet Maritus, possit uxorem expellere, propter non solutam dotem? Ubi Affirmativam tenet *Panorm. in c. per vestras n. 4. argumento istius text. de donat. int. vir. & uxor: pro quâ sententiâ allegatur gl. in §. fin. in verb. onera in Auth. de non eligend. secund: nubent. mulier. collat. 1. & l. f. C. ad Scutum Vellei: quæ tamen sententia,*
alijs

alijs non probatur, qui existimant, Mari-
tum hoc jure facere non posse nec ob id,
quod indotata sit expellere, cum honestus
Amor, ut est conjugalis, solis animis sit æsti-
mandus, ut tradit *Ulp. in l. 3. ff. de donat. int. vir.*
¶ *Uxor.* & concordia conjugalis cuicunq;
lucro præferenda *l. reprehendenda 5. C. de in-
stit. & substit. ut nec pretio constituenda*
l. 2. ff. de donat. int. vir. & uxor. Existimamus
itaq; cum *Didac. Covar. citante Benst. de ma-
trim. c. 66. in Epit. caus. matrim. c. 7. n. 2. part. 2.*
quòd Marito possit alio remedio consuli,
ut dotem consequatur, nempe ope & of-
ficio judicis, *Domin. Cardin. Tusch, pract.*
conclus. jur. tom. 5. lit. m. conclus. 400.







the scale towards document

ut nec Papa super eas dispensare possit. *Specul.*
res. nunc breviter dicendum n. 4.

ben humano nonnunquam Dispensationem,
ex prudentia Magistratus, five eorum, penes
est, communiter concedunt DD. ita tamen,
atio. E. G. si duorum Fratrum filij vellent con-
nam peterent, posset Magistratus superior, ex-
ux Num. ult. & Ios. 15. Iud. 1. dispensare. Sin ve-
ut ducere possit, peteret, dispensatio hic mi-
possit. Beust. de matrim. c. 56.

nsactio. Hæc à transigendo h. e. finem impo-
betq; duplicem significationem: interdum ea
quæ nunquam fu ère in controversia, habent ta-
uti loquitur l. transacta 229. ff. de V. S. interdum,
atum intelligitur, quæ in controversia sunt, &
ndente ad certam compositionem reducunt;
ff. de transact. adde Connan. hæc latius explican-
6. n. 1. Calvin. in Lex. jurid. in verb. transactio.

ransactio de re dubiâ, & lite ancipiti, nec dura
o: l. 1. ff. de transact. l. 12. C. eod. l. 6. C. de solut.
l. 1. §. ult. ff. ad SCtm Tertullian.

Matrimonij habeat locum, controvertitur?
ativam descendunt sententiam ex *c. fin. ubi gl. &*
bi Bartol. & Legista. C. de transact. & est text. in § quia
collat 9. propterea quod in spirituatibus rebus, ut
um, transactio non admittitur c. de cetero 5. &
st. quia consensus & promissio efficit verum ma-
ber contrarium consensum transactione non
lti concludunt DD. & post illos Beust. de spons.

sus accideret, ubi salva conscientia iudicis &
ocum habere possit, quid tunc sit faciendum.
cis,

C 3

96, Vi-